



Prot. N. 21/21/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis a Rev. do Methodio Marcello Lukačik, Superiore Viceprovinciali Congregationis Sanctissimi Redemptoris Viceprovinciae de "Michalovce", Prešovienſis Archidioeceseos, in centesimo praesentiae anniversario eiusdem Congregationis in Slovachia, de caelestibus Ecclesiae thesauris plenariam benigne concedit Indulgentiam suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die XXIII Martii usque ad diem XXXI Decembris MMXXI lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint dummodo, unito corde cum Sancti Ioseph Anno, conventualem SS. Cyrilli et Methodii ecclesiam de "Stropkov", praefatae Archidioeceseos, in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilantibus ritibus devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatae Mariae Virginis, SS. Cyrilli et Methodii et Beati Methodii Dominici Trčka.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilantibus celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut Patres ex Congregatione Sanctissimi Redemptoris, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarum Apostolicarum, die XXIII mensis Februarii, anno Domini MMXXI.

Maurus Card. Piacenza
MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarum Maior

Christophorus Nykiel
CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens